Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26154
Copyright: Admont, Benediktinerstift

32

uoce nunc dicitur. Auro locus est in quo conflatur. Nam iuxta hoc quod iam et ante nos
dictum est quisquis extra ecclesie unitatem patitur penas pati potest martyr fieri D.M.
non potest quia auro locus est in quo conflatur. Quid itaque adhuc heretici di
citis? Conflari per afflictionem carnis uel etiam per martyrium uultis. Sed locum
quo debeatis conflari nescitis. Audite quid sancti predicatoris uoce dicitur: Auro
locus in quo conflatur. Hunc ergo conflationis locum querite, hanc fornacem qua
aurum apte purgari ualeat inuenite. Una est ecclesia in qua quisquis conflari
uoluerit ab omni etiam poterit peccatorum sorde purgari. Si quid ergo pro deo
amaritudinis, si quid tribulationis extra hanc positi sustinetis, in
cendi potestis tantummodo non purgari. Dicat Ieremias, dicat quomodo confla
tionis uestre ignis omni uirtute sit uacuus: Frustra conflauit conflator,
malicie enim eorum non sunt consumpte. Ecce ignis exterior conflans et dure com
passionis admouet penam, et tamen erroris non excoquit culpam; et tor
menta crudelium dat penarum, et tamen bonorum non facit incrementa me
ritorum. Huius etiam conflationis ignis quem extra catholicam tolerant ecclesiam
quam nullius omnino sit uirtutis, Paulus apostolus insinuat dicens: Si tra
didero corpus meum ut ardeat, caritatem autem non habeam, nichil michi pro
dest. Alii quippe praua de deo sentiunt, alii recta de auctore te
nent, sed unitatem cum fratribus non tenent. Illi errore fidei, isti uero scismatis
perpetratione diuisi sunt. Unde et in ipsa prima parte decalogi utra
rumque partium culpe reprimuntur, cum diuina uoce dicitur: Diliges dominum
deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota uir
tute tua. Atque mox subditur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Qui
enim de deo peruersa sentit, liquet profecto quia dominum non diligit. Qui uero de
deo recta sentiens a sancte ecclesie unitate diuisus est, constat profecto quia
proximum non amat quem habere socium recusat. Quisquis ergo ab hac uni
tate matris ecclesie siue per heresim de deo peruersa sentiendo seu er
rore scismatis proximum non diligendo diuiditur, caritatis huius gratia
priuatur. De qua hoc quod premisimus Paulus dicit: Si tradidero cor
pus meum ut ardeat, caritatem autem non habeam, nichil michi prodest.